

P. Rodericus Bayón Mosquera (1886-1962)

(Prov. Hispan.)

Huius eximii Redemptoristae nomen ac decus posteris mandare existimamus nobis honorificum, tum quo sanctius in tardiore aetate debitum grati animi in adolescentia contractum ei persolvamus, tum praesertim ut illius vitae curriculum iis innotescat, qui Bibliographiae Alfonsianae perficiendae operam navant (1).

Natus est dilectus confrater die 11 februarii an. 1886 in oppido Caldas de Reyes (15.000 hab.), ad occidentem Hispaniae plagam, in regione illa septentrionali quae Gallaecia (*Galicia*) dicitur, hodieque clarissima natalibus ducis supremi D. Francisci Franco. Pietate ac primis litteris in familia, a matre praesertim, rite imbutus puerulus noster cito in vocationem religiosam sese inclinavit ideoque, probabiliter ex nostrorum missionariorum consilio, undecennis advolavit an. 1897 in Iuvenatum Spinensem, quamvis a provincia sua natali sat dissitum. Inter studia porro gymnasalia statim ille emicuit ingenio prompto ac vivaci, in his prae aliis disciplinis litterariis, quae deinceps copulatae fore praevidebantur mentis cordisque sui deliciis.

Tum vero missus est ad Novitiatu palaestram, sitam in amoena « thebaide » Navae Regis, ubi die 8 septembris an. 1903 vestem nostrae Congregationis induit atque alacriter sese addixit tirocinio virtutum complendo, de quo P. Magister Augustinus Pedrosa rescripsit ad Superiores Maiores in sua relatione officiali ante candidati professionem: « Satis bona gaudet valetudine. Est valde pius, suae perfectionis amans, obediens, vocationem diligit. Tamen est vividae indolis, de se ipso optime sentit, caeteros quandoque despicit: deficit quandoque animo. Per hunc annum valde studiosum se corrigendi de defectibus se praebuit, et multum in hunc laborem profecit. In multis Congregationi inservire potest, nam valde capax ingenii est ».

(1) Cfr. [R. TELLERÍA], *Necrologia del R.P. Rodrigo Bayón Mosquera*. Madrid, 1962, pp. 20.

Professione religiosa die 8 septembris an. 1904 adscriptus Congregationi, huius Superiores hispanos invenit anxios de Studentium valetudine. Quare neo-professus Bayón biennium philosophiae explevit Spini et Asturicae Augustae, quadriennium vero theologiae Asturicae; dignus sane qui ab utriusque loci PP. Praefectis describeretur in officialibus ad Romam relationibus stylo enco-miologico. Ita prior post philosophiam: « F. Rudericus Bayón aptus ad philosophiam et ad litteraturam aptissimus, magnum exercet influxum in caeteros omnes, Correctioni defectuum, quos naturaliter habet, serio incumbit. Bona fruitur valetudine ». Alter post cursum dogmaticum: « F. Rudericus Bayón. Bonum ingenium et rectum iudicium. Est apertus, pius, proclivis ad suspicandum, quamvis hic defectus exterius non appareat. Videtur securus in vocatione. Satis bona fruitur valetudine. Aptus ad munus lectoris ».

Dignitate sacerdotali auctus die 21 septembris an. 1909 atque studiorum cyclum emensus, sub finem aetatis sequentis delectus fuit ut sine mora in iuvenatu Spinensi praeesset supremae cathedrae linguae latinae. Post hanc, fluentibus annis, docendas curavit humaniores litteras, classicos nempe auctores hispanos ac latinos, immo et graecos. Unde pro indolis suae inclinatione atque ex experientia in munere acquisita ortum in eo fuit ac radicatum sollemne educationis principium, videlicet culturam posterioris aetatis niti debere et fulciri fundamento classicae sapientiae. Qua orbus a iuvenili stadio si quis exierit, eandem nusquam deinceps arripit, non sine maximo vitae suae intellectualis detrimento. Idcirco P. Bayón non solum in dicendo, docendo atque scribendo excelluit lumine proprio, verum etiam plures annos cathedrae insedit magister vi quadam fere magnetica donatus ad alumnos in excelsa ferendos. Ad haec, ingenii sui prodegit opes ut pro scholis nostris effingeret et plasmaret traditiones efficaciter duraturas, v. gr. per commentaria in odas Horatii necnon in poemata Ludovici Legionensis (Fray Luis de León, O.S.A.); quae commentaria ipse composuit ac manuscripta successoribus reliquit usque in hodiernos dies.

Interea collaborationem quoque praestitit externo Iuvenatus regimini qua Directoris socius in gubernanda iuniorum sectione: ei namque tam intra quam extra collegium demandatae erant partes vigilandi et subveniendi, corrigendi ac comitandi, hortandi alliciendique pro casuum temporumve opportunitate. Nihil proinde mirum quod, hisce exercitiis praematurus, vix adeptus aetatis suae annum vigesimum nonum susceperit die 15 martii an. 1915 honorem atque onera Directoris, retentis quoque viritum muniis lectoris linguae graecae aut gallicae.

Moderatore Patre Bayón novit Collegium Spinense periodum renovationis et progressus, etiamsi illis primi belli « mundialis » annis refluebant in littora hispanica undae minaces conflictus internationalis, quae ob penuriam oeconomicam

praepediebant quominus dynamicus director Spinensis ad exitum perduceret cuncta sua innovationis consilia. Studiorum programma tum per se ipse, tum per suos collaboratores (non semper heu! tanto muneri pares) exsequi pugnavit sedula vigilantia, paucis directe verbis, plurimo sui exemplo. Etenim praeter musicam gregorianam, cui discendae praeerat, conflavit dramaticas fabulas a



P. Rodericus Bayón

iuvenistis recitandas ac die 9 ianuarii an. 1916 inauguravit sub titulo Immaculatae Conceptionis Academiam vere singularem atque laudabilem, cuius erat confovere inter universos Collegii alumnos spiritum laboris, inventionis, responsabilitatis ac methodicae formationis. Accensendus quippe erat P. Bayón inter paedagogos, quibus cordi potissimum inest secretas adolescentium vires expergescere, conducere, roborare atque extollere potius quam easdem comprimere aut parvipendere.

Pari rythmo tenebat habenas disciplinae atque animarum. Enimvero si ex una parte aequus, immo et rigidus statutorum custos vigilanter aderat, ex alia haud abnuebat supercilium deponere in recreationibus et ludis, in deambulatione atque in sermocinatione communi. Ducebatur namque instinctu psychologico eoque praesertim utebatur in colloquiis privatis. Unde praecognita cuiusque adolescentis indole atque speculatus singulorum scopulos, hos discrete removebat, invocatis mediis naturalibus ac supernaturalibus. Conciones etenim seu conferentiae dominicales aliaeque, stasis diebus, hortationes disciplinares convergebant in unam eandemque altam ideam (*ideale*) educationis redemptoristae.

Tum vero, cum P. Bayón a biennio et ultra sese acrius impendit pro Iuvenatus Spinensis incremento, coactus est inde discedere insperato ac fere violenter. Reapse moles laboris quotidiani, cui diu ac saepe noctu subiacebat, praesagire monebat in Directore valetudinis flexionem; sed non ita gravem, qualem de facto monstravit iteratus epilecticus ictus, quo ipse mensibus aestivis ac initio autumnus an. 1917 percussus fuit. Abfuit mox duos menses in domo nostra Pampilonensi (*Pamplona*) ad vires reficiendas et pervigilio Natalis Domini denuo comparuit inter Juvenistas, de reditu Directoris hilarescentes. Sed proh dolor! paucis mensibus transactis et saeviente infirmitatis ardore recessit P. Bayón a Collegio die 15 aprilis an. 1918 et Matriti per fugium ac medicorum adiutorium exquisivit.

Horum scientia contactus ac propria adamantina voluntate actus P. Bayón, procul ab animi demissione quae ad nihilum redeisset posthac suas facultates, easdem excitare atque in altum erigere nunquam desiit. Hinc, superatis paulatim morbi sui irruptionibus, propriam vitae suae matritensis instauravit methodum vere fecundam, cui deinceps lapsu 44 annorum fideliter stetit. Quoniam ex vocis suae tenuitate et ob insidias infirmitatis semper latentes nequibat praedicationis sarcinam qualemcumque portare, maluit adduci confessionum ministerio, ubi gradatim annorum decursu paenitentium turma, licet ab ipso selecta, semper increbuit. Profecto, annuentibus superioribus, sibi praestitit calendarium dierum atque horarum: tres quattuorve in hebdomada dies, ac sex horas quotidie in his singulis diebus. Clientium copiam ponderabit qui rependerit Sanctuarium matritense B.M.V. a Perpetuo Succursu, olim in regione urbis peripherica, devenisse eiusdem centrum geographicum ac vitae christianae splendidum repositorium, ad quot annuatim accedunt 450.000 fideles s. Communionem recepturi.

Age vero: in obeundo confessionis aut directionis spiritualis ministerio P. Bayón tesseram haud communem porrigebat, quatenus ex una parte ad illum (etsi omnibus obvium sine acceptione personarum) confluebant viri mulieresve praestantiores, v. gr. sanguine, muniis publicis, professionibus libera-

libus in campo medicinae, artis, humaniorum litterarum, etc.; ex alia autem his singulis, pro cuiusque necessitatibus familiaribus aut socialibus, aptare ille noverat legis moralis praescripta, probe conscius de vitae hodiernae implicatio- nibus, quas adprehendere et intimius scrutari saegit, tum ex colloquiis cum supra praefatis clarioribus personis, tum ex lectione assidua tenacive appli- catione in disciplinis moralibus atque litterariis colendis.

Equidem P. Bayón, quoad vixit, gavisus atque gloriatus est de cultu iuveni- nili erga humaniores litteras. Quasi oculi sui pupillam custodivit, perfecit atque ditavit bibliothecam matritensem, cuius egit praefectum fere perpetuum et cui augendae destinabat, ex superiorum licentia, vim largitionum pecuniariam sibi ab amicis saepe porrectam. Scientiae moralis atque canonicae copiam ipse con- fratribus erogabat in academia casuum hebdomadaria aut mensili, cui regendae multos annos praefuit. Insuper functus est per diversa triennia munere consul- toris domus, interdum etiam chronistae localis.

Beneficus autem influxus Patris Bayón expandit sese ex urbe capite ad alias domos, ad eas praesertim quae Iuventuti nostrae conformandae dicantur. Prae primis uno alterove triennio adstitit superiori provinciali tanquam eiusdem consultor. Alias, etiam absque veste officiali, eius dictamini subiciebantur a praedicto superiore non pauca negotia, speciatim de studiis aut de educatione, quibus modum suae prudentiae atque experientiae adferebat. Ceteroquin Patris Bayón stimuli ac consilia erant in promptu cuilibet confratri, molienti plus mi- nusve grandia pro Congregationis aut Ecclesiae decore, sicuti contigit PP. Si- món-Prado in Praelectionibus Biblicis adparandis et vulgandis. Per se etiam ipsemet, etsi iam aetate maturus, operam contulit iuvandis Studentibus nostris, sive per conferentias semel atque iterum in domo studiorum habitas, sive per scholas privatas Matrity instructas in beneficium eorum, qui apud Universitatem publicam mox desudare appetebant ad lauream consequendam. Quod si inter- dum in his Patris Bayón litterariis, artisticis aut linguisticis collationibus hiatus quidam suffodiebatur ex incomprehensione mutua, eundem complebat ille su- bridens cum poëta Martiali: « Coenae fercula nostrae / Malim convivis quam placuisse coquis » (*Epigr.* IX, 82).

Ex proprio penu multiplici ac locuplete calamus « patritius » nostri con- fratriis suetus erat condire fercula sapida lectoribus, qui et rerum substantia et styli venustate delectantur. Mensam suam lungos annos paravit in ephemeride nostra *El Perpetuo Socorro*, cuius moderamen tenuit per tria saltem lustra et in qua, praeter poëses classica forma et halitu hodierno iucundas, edidit ininter- ruptim innumeros articulos de B.M.V. a Perpetuo Succursu historia, de quaestio- nibus asceticis et moralibus, de divulgatione hagiographica, de annalibus alfon-

sianis et Congregationis nostrae, et sic porro. Quandoque ad fictiones amoenas confugit, ut via symbolica aut ludo litterario veritates morales aptius lectoribus potandas misceret. Circa collaborationem Patris Bayón in aliis ephemeridibus, sublineamus articulum vere sartum tectum: *Alcibiades o el problema de nuestras Juventudes* (*Moralia*, III, 1957, p. 289-370), in quo subsumuntur ac explicantur auctoris meditationes atque experientiae super formatione nostra alfonsiana ac repudiantur « tendentiae », quas caeci ductores amplexantur dum caecis pupillis praeceunt.

Extra hunc elenchum stat a se liber eximius, quo P. Bayón ex carcere russo-matritensi liberatus voluit an. 1939 honorare primum centenarium canonizationis S. Alfonsi: *Cómo escribió Alfonso de Ligorio*, Madrid, 1940, pp. 363. Opus sane dignum et sub omni respectu valde aestimandum, praesertim quia in illo exarando auctor nequivit abunde uti subsidiis nostri archivi romani nisi quatenus eadem fuerunt illi porrecta a confratre generoso. Distributio tamen partium earumque commenta ac documenta refinent impraesentiarum vim probativam conclusionum, quibus multum detrudere nondum erit fas.

Eiusmodi paginae referebant auctoris animum Congregationi et S. Fundatori deditum, perfectionis religiosae cupidum, animarum caritate flagrantem. Equidem si « humanismo » litterario Pater Bayón indulsit atque in eo inter coevos Provinciae primas facile tenuit, id in se et in aliis confovit sensu ancillari, nempe subordinato vocationi alfonsianae. Plato, Virgilius, Horatius, Cicero, Homerus, indices humani bravii assequendi, fiebant subsellium altioris verticis ex quo regnat Christus Redemptor et ad quem ipse olim iuvenes compellebat insinuans: « Duc in altum ». Idcirco quotannis, feriis aestivis vacaturum, cerneres confratrem nostrum, non per urbes aut per diversoria plus minusve luxuosa vagantem, sed petentem serena et placida, et minime amoena, domus Novitiatus habitacula, ubi cum Deo et cum suae conscientiae moderatoribus de obligationibus sui status conferret.

Ex his obligationibus selegit maxima cura, quae ad paupertatem, castitatem, caritatem fraternam et obedientiam spectabant. Quamvis plurimis amicis iisque non raro ditioribus cinctus, inde nihil commodi aut lucri pro se trahebat. Diuturnum confessionum ac directionis spiritualis commercium cum paenitentibus et cum eorum familiis temperatum semper apud eum mansit vigili prudentia: adeo ut ne umbra quidem levitatis illum attingeret unquam. Caritatis fraternae legibus obvius ire eo facilius in Patre Bayón videbatur quod a natura et a voluntate ornatus eloquii elegantia, gestus dignitate, urbanitatis adiumentis poterat circum se spargere in recreatione communi gemmas colloquii amoeni, sale atque eruditione conditi. Quod si interdum discrepantiae oriebantur aut

adversus illum subrepebant insinuationes criticae vel malevolae, easdem solitus erat despiciere.

Quibus forsitan nimiis praelibatis, brevi cetera praecidamus. Aurea professionis et sacerdotii iubilaea celebravit P. Bayón annis 1954 et 1959 respective. Hoc ipso anno 1959 coepit molestias perferre, quarum origo post multa medicorum tentamina fuit adiudicata carcinomati osseo. Hinc consuetae stationes huius viae crucis, quam usque ad finem calcavit P. Bayón animo erecto, divinae voluntati submitto, inter amicorum et confratrum solamina. Denique tandem, omnibus Ecclesiae sacramentis munitus, die 10 iunii 1962 in festo Pentecostes et sub praesidium B.M.V. a Perpetuo Succursu ad supernam patriam ascendit, dilectus Deo, confratribus atque numerosis in Christo filiis, qui illum venerabantur tanquam patrem et consolatorem.

R. TELLERÍA, C.SS.R.

Confratres nuper defuncti

P. *Victor Schilling*, Vice-Prov. de La Paz, e Prov. Argentoraten., nat. in Soulz, dioec. Argentoraten., Strasbourg, 11 iul. 1895, prof. 9 sept. 1920, presb. 19 sept. 1925, obiit 5 ian. 1963 in La Paz.

Cfr. Necrologium in *Maria-Immerhulf, Le Perpétuel Secours* (Strasbourg), an. 31, n. 5 (maius 1963), p. 95.

P. *Iacobus Guggenberger*, Prov. Monacen., nat. in Weichs, dioec. Ratisbonen., Regensburg, 30 (31 ?) ian. 1881, prof. 8 sept. 1902, presb. 16 iun. 1907, obiit 9 ian. 1963 in Gars am Inn.

Cfr. Necrologium in *Briefe an unsere Freunde*, Prov. Monacen., an. 13, n. 2 (april. 1963), p. 24-25.

P. *Antonius Kieran*, Prov. Hibern., nat. in Killassir, dioec. Achaden., Achonry, 25 feb. 1888, prof. 26 april. 1926, presb. 23 iun. 1912, obiit 13 ian. 1963 in Dublin.

P. *Ignatius Cianciulli*, Prov. Neapolitan., nat. in Montella, dioec. Nuscan., Nusco, 4 oct. 1874, prof. 21 ian. 1892, presb. 17 iul. 1898, obiit 17 ian. 1963 in Avellino.

Cfr. Necrologium in *S. Gerardo* (Materdomini), an. 63, n. 2-3 (feb.-mart. 1963), p. 32.